

II n
8834



A. 77

M. 1, 346.











I V S T A

Funeri

ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS, AC DOMINI, DOMINI

CHRISTOPHORI

RADZIVILI, DVCIS BIR-
ZARVM ET DVBINKORVM,

Palatini Vilenſis in magno du-
catu Lithuanix, Sacri Roma-
ni Imperij Principis

SOLVTA

In Academia Lipsienſi, Anno

1604. Mense Ianuario.

à

MATTHÆO DRESSERO.

In fine acceſſerunt Epicedia quædam in
obitum Laudatiſ. Principis, à Professo-
ribus dictæ Academix conſcr.

L I P S I A E.

Imprimebat Michael Lantzenberger, Anno 1604.





ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DO-
MINO CHRISTOPHORO RADZIVILO,
CHRISTOPHORI FILIO DVCI BIRZANO
& DVBINCANO, suo Domino
clementissimo.



ILLVSTRISSE
Princeps, Domine clementis-
sime, commouet me celsitudi-
nis tuæ generosa indoles, ut
non tam celsitati tuæ, quam
familie toti officia mutua me debere profitear.
Cum enim ab illustrissimo parente tuo, & à cel-
sitate tuâ honorata sit Academia hæc, vicis-
sim ad honorem & studium tribuendum obli-
gatos nos esse intelligimus. Quamobrem pla-
cuit hanc orationem scribere, quâ & animi mei
affectionem erga tuam Celsitatem declararem,
& testimonium iudicij mei de parente inchy-
to perpetuum præberem. Dum autem ma-
gnitudinem suscepti argumenti perpendi dili-
gentius, duabus rebus me defici facile perspexi,

A 2 facult-

facultate scribendi, & rerum ab illustrissimo pa-
 rente tuo gestarum scientiâ. Longè enim ab-
 sum, & Lithuanica historia à nemine hacten-
 nus, quod ego sciam, satis illustrata literis est:
 Exceptis ijs quæ cum Polonici regni amplissimi
 actis communia habet. Ex eâ igitur quæ ad
 eius facere potui, nonnulla de parente, & avo
 celsitatis tuæ deprompta, in hanc orationem con-
 tuli: quanquam interim nullam historie par-
 tem satis persecutus sum: quod ne fieri quidem
 à me debuit. Strictim duntaxat quædam de-
 libavi, ut quibus, & quantis rebus non solum
 interfuerint, sed etiam præfuerint illi, aliquo
 modo possit cognosci. Neq; etiam tam copia
 orationis, quam voluntas propensa & grata
 fuit declaranda. Quam tu pro tuâ equitate,
 & clementia in eam partem accipies, ut & læ-
 tari nostro studio videaris, & nos gratam re-
 cordationem tui nunquam ex animis effluere
 patiamur. Iucunda erat omninò coniunctio
 duorum magnorum principum uno eodemq;
 tempore in hac Academiâ viventium, celsita-

tis

DEDICATORIA.

tis tuae, & Philippi Iulij Pomeraniae ducis illustrissimi, benevolentia mutua, conuictus suavis, idem utriusque propositum peregrinandi & gentium, populorumque mores, studia, urbes visendi. Et quidem in unum tempus utriusque discessus à nobis incidit. Peragrastis ergo tempore bene longo regiones Europaeas, adiistis principes, conuenistis reges, cognouistis populos, conciliastis vobis ducum, & regum amicitiam, vidistis pacis, & belli artes, perspexistis sustinendarum obsidionum pericula, & hostes adoriendi, ar-cendi que studia tanta, quanta vix ulla aetas vidit. Peregrinationis quoque idem penè utriusque exitus fuit, ut ad gubernationem paternarum ditionum in patriam reuersi tandem accesseritis. Utrique etiam oratio à me composita est, quamuis dissimili argumento & fine. Pomeraniae enim duci Philippo Iulio in actu Receptoratus, quem lubenti animo susceperat, gratulatus sum oratione ad tempus lætum accommodatâ. Tuæ verò celsitatis paterno funeri iusta hac oratione soluo, in eum finem

directa, ut luctus eius solatio aliquo leuetur. Fit enim iure quodam naturæ nostræ, ut, quemadmodum res sese dant, ita magni quoque, atque humiles simus. Ac principi quidem Philippo Iulio gratulatoriam orationem vehementer acceptam fuisse ex vultu celsitatis eius serenissimo deprehendi potuit. Quare nec tuæ celsit. ingrata fore mæstitiæ nostræ in paterni funeris luctu declarationem confidimus. Quod verò huic orationi meæ deesse videbitur, id suâ copiâ, & ubertate compensare poterit Salomon Risinky studiorum, & consiliorum celsitatis tuæ informator fidissimus. Vale. Lipsiæ in die, quo Paulus ex hoste Christi accerrimo factus est Apostolus gentium saluberrimus, Anno 1604.

T. Celsitatis

studiosiss.

Matthæus Dresserus.

ORA-



O R A T I O.

CREDO IVCVNDAM RECOR-
dationem illustrissimi ducis
CHRISTOPHORI RADZIVI-
LI in mentibus plerorumq; no-
strum adhuc versari. Sic enim
in hac Academiâ viuebat, & sic
studia literarum tractabat, vt non facilè ex animis
nostris effluere memoria illius possit. Eluce-
bat in eo eximia spes, summa ingenij indoles, e-
minens virtutis effigies, domestica disciplina libe-
ralis, institutio ingenua, discendi cupiditas singu-
laris, admiranda clementia, iudicij dexteritas, e-
loquendi prompta facultas. Disputationum exer-
citationibus delectabatur, sed eruditis, & placidis,
à rixis verò, & contentionibus alienum habebat
animum. Id quod etiam Isocrates scribens ad A-
lexandrum, decere principem maximè censet.
Lites enim Sophistarum sunt, collationes verò so-
briae, graues, & verecundæ sapientum. Laudatur
à Dione Hadrianus Imperator, quòd naturâ fue-
rit amans literarum, & multa scripta partim so-
luta oratione, partim carmine composita reli-
querit. Cuiusmodi studium philologiæ vocabu-

lo no-

lo notatur, & principibus viris maximè dignum est. Etsi enim carminis scribendi laborem fortè non attingunt, eloquendi tamen cultum capessunt, & quæ cognita, perspectaq; habent, ea politè, sapienterq; efferre posse laudi sibi ducunt. Cui quidem studio deditum fuisse ducem Radziuilum, quoad apud nos commoratus est, meminimus. Non enim artium tantùm doctrinam, sed sermonis etiam latini facultatem sitienter expetiuit, atq; etiam assecutus est. Expleto autem curriculo plùs quàm annuo, ad alias gentes atq; nationes adiit, vt & rerum scientiã sese augetet, & varietatem ingeniorum, atq; morum in alijs atq; alijs populis cognosceret. Atq; in hac quidem peregrinatione non Germaniæ solùm principibus sed etiam nonnullis regibus sic innotuit, vt carus, iucundusq; compluribus eorum factus sit. Interea dùm in oculis Germaniæ quorundam principum fertur, & in suauissima consuetudine eorum hæret, nuncius tristis de obitu parentis eius Christophori Radziuili ad eum affertur, quo accepto ocyus ad nos reuersus pristinam consuetudinem paucis quibusdam diebus subsistens renouauit, & amorem, clementiamq; suam in Academiae Professores documentis illustribus declarauit: dolorem tamen suum ex obitu tam

illu-

illustris parentis minimè dissimulauit, sed mœrorem iustum, & filio generoso dignum præ se tulit. Cuius quidem ægritudinis cum societas quasi quædam ad nos pertineat, iure vicem eius doluimus, communemq; cum eo tristitiam cepimus. Cùm enim membrum huius Academiae sese professus sit, & communi iure vniuersitatis nobiscum vixerit: æquum esse duximus, vt læta pariter, & tristia cum eius celsitate participaremus. Quod cùm ita sit, documentum aliquod doloris nostri æquissimi statuendum esse putauimus, ex quo palàm fieret, quantum illustriss. parenti mortuo debeamus. Quid autem conferre in inclyti & fortissimi ducis manes possumus iustius, & professione nostrâ dignius, quàm si acta eius, & merita præclara in patriam gratâ prædicatione celebremus?

Christophorus Radziuilus Birzarum & Dubinkorum dux in Lithuaniam, sacri Roman. Imperij Princeps, Anno Christi 1547. natus est patre Nicolao Radziuilo Birzarum & Dubinkorum duce, Vlnensi palatino, matre vero Iuvinicia fœminâ illustri, & generosâ. Ab his parentibus generosè & ingenuè educatus Christophorus filius à teneris vnguiculis eruditus est ijs artibus, quæ ad intelligendum, & iudicandum

rectà ducunt. Ipseq; adeò simul atq; adolescens esse cœpit, magna spectauit, ad eaq; omni studio contendit. Quod eò facilius facere potuit, quòd patrem Nicolaum ad omnia præclara ducem habuit. Is enim maturè labores militiæ suscepit, ad eosque etiam filium Christophorum adhibuit. Specimen dedit illustre, cùm post mortem Sigismundi regis, interregni tempore, Mosci in Russiæ fines infusi tumultuarentur. Contra hos enim cum copijs quibusdam missus magnâ felicitate impetum illorum repressit, eaq; in re pietatem in tuendâ patriâ eximiam declarauit.

Dum ad Gedanum Rex Polonorum Stephanus castra habuit, & hostis irruentis fama latè manauit, nobilitatem Lithuanicam datis literis euocauit, & militare imperium per ducatum illum Nicolao Radziuilo, Vilnensi Palatino tradidit: qui cum exercitu non exiguo voluntarij militis ad eum accurrit. Deinde, cum Ioannes Chodkeuitius Leopoli administratione Lithuanix sese abdicasset, administratio illius prouinciæ eidem Radziuilo commendata est, qui Christophoro filio aulicæ militiæ per Lithuaniam præfecto exercitum, qui in Liuoniâ fuerat, tradidit. Hunc ille Derpatum vsq; adduxit, prouinciãq; hostilem populatus est. Tùm ad Kirempesium excurrit,

idq;

idq; adortus cepit, atq; euertit. Inde ad regem, tùm Vilnam ad patrem reuersus est cum exercitu, vt militi stipendia merita persoluerentur.

Secutum est non multò post bellum cum Moscicis gestum. Ad quod cùm necessaria præsidia compararentur, & de summa belli consilia caperentur: Rex Svirum vocauit Lithuanicum equitatum, vbi spectaculum iucundissimum vidit, cum gens Radziuila, & Ioannes Khiska structor regius equitatum in conspectum regis adduxerunt, omnibus rebus probè instructum, atq; armatum. Decreta iam & suscepta expeditione Moscica, tanquam dux itineris, & rei bene gerendæ auctor præmissus à rege est Radziuilus, cum Christophoro filio Polotiam, cum Lithuanicis quibusdam copijs, & equitatu Vngarico, cui Bekesius præerat, vbi viam subsequenti exercitui muniuit. Inde caussa dissimulandi, & præripienti hostis consilia in Moscouiam impressionem fecit, multa vastauit igne, & ferro, tantumq; effecit, vt hosti, qui terror Christiani orbis antea fuerat, terrori esset, nec pedem inde retulit, priusquam VVolgæ fluminis, vtramq; ripam populatus esset.

Hostis verò iam Plescouiam progressus partem aliquam copiarum in Lithuaniam misit, quæ excurrerunt & agrum Birzanum Christophori

Radziuili populati sunt: At missus à rege Ioannes Taluossius Samogitiæ Castellanus hostilem impetum à ceruicibus incolarum propulsauit. In ipsa verò oppugnatione Polotiæ locum à rege proximum Radziuilus tenuit, & cùm subsidia Moscus obsessis misisset, Christophorus Radziuilus cum aliquot alis equitum lectis occurrit, atque restitit. Venit ad regem legatus ab Henrico ordinis Teutonici Magistro missus: vbi cùm difficultas magna belli Liuonici sese offerret, consilium dedit Radziuilus, vt Adolphus Holsatiæ dux feudi iure Liuoniam sibi à rege dari peteret, operamq; , & fidem suam in ea defendenda contra Moscum polliceretur. Quod consilium, ad reparandam quietem, & ad minuendos sumtus, atq; pericula directum erat. Sed eo tempore ad comitia deliberatio eius tota reiecta est.

Postquam Polotia, & Sokola DEI permissu, quemadmodum Moscus ipse in literis suis locutus est, in Polonorum potestatem redacta est, periculum sibi metuens tyrannus ille in interiorem Moscouiam, vbi se tutiorem fore sperabat, confugit. Rex verò bellum persecuturus Varfauix in conuentu de Lithuania tuenda & ab hostili impressione defendenda consilium cum Senatoribus iniit: decretumq; est, Radziuilo Vilnensi

Pala-

Palatino, qui cum imperio militari erat, curam illam committendam esse: & quidem in magistratibus, qui vacabant, distribuendis, Radziuilis partes primæ fuerunt datæ. Quæ tametsi strictim tantum à nobis attinguntur, nec pro dignitate, & magnitudine enarrantur: tamen, quanta auctoritas ducis Radziuili, cuius acta celebramus, tam in consultationibus, quàm in officiorum muneribus fuerit apud suos, aliquo modo demonstrant. Quanta autem eadem apud hostes fuerit, cognosci potest ex Mosci literis, ad Nicolaum Radziuilum Vilmensem palatinum, & ad Eustachium Volouicium Trocensem castellanum datis, quibus petit, vt pacis autores, & suasores esse apud regem velint, ne plus sanguinis profundatur. Eum scilicet iudicauit barbarus ille Radziuilum esse, qui suo consilio, & oratione regis mentem iusta quadam vindictæ cupiditate incensam mitigare posset, & ad pacem faciendam flectere.

Atq; hæc, quæ de Nicolao patre Christophori Radziuili commemorantur, ad laudem totius familiæ, maximè tamen ad decus filij pertinent. Responsum autem, quod Mosco tunc datum est, à senatoribus Lithuanicis, huiusmodi fuit, vt intelligeret princeps ille magnus, non Polonos sed Moscos belli autores esse, nec regem à pace

alienum habere animum, sed laceffitum ab illo iniurias iusto bello persequi debere, ac velle. In expeditione, & profectioe ad Vsuatam, & Lukos iterum agmen primum Palatinus Vilnensis, & filius eius Christophorus limitanei militis præfectus duxerunt. Ad Pleskouiam Rex erat, cum ad eum allatum est, exercitum hostilem in Mohilouensem, & Scouensem agrum irruisse. Illico Christophorum Radziuilum, qui tunc Disnæ erat, cum aliquot turmis equitum Polonorum, quæ in locis ad Borythenem hibernabant, cum peditatu aliquo, & cum leuibus tormentis misit, in mandatisq; dedit, vt in hostem rectà iret, et, si ferret facultas, prælio cum eo decertaret. Plura multò in hoc Moscico bello acta ab hoc Christophoro prætermittuntur à nobis: & iam in eum locum res tota erat adducta, vt, interponente se in pacificationem pontifice Romano, pax vtrinq; constitueretur. Hæc verò quæ summatim exposita sunt, eò pertinent, vt, quanta industria, autoritas, atq; felicitas tam patris Nicolai, quàm Christophori filij Radziuili in hoc bello eminuerit, ostendatur.

Ad exitum vitæ vocatus est Nicolaus Radziuilus Anno 1594. Aprilis die 27. cuius quidem herois obitus luctuosus in primis fuit regi, & funestus

stus

stus patriæ: Sed eò tamen tolerabilior, quòd filium reliquerat, paternum ingenium, virtute, & industria adæquantem, vel certè ad id proximè accedentem. Cuius documenta illustria iam tùm in Moscico bello, inspectante, & comprobante rege totoq; exercitu dederat. Itaque patris successor in honoribus, & muneribus à rege declaratus est, vt & Vilnensis palatinus, & exercituum præfectus generalis per Lithuaniam esset. In quo quidem officio sic versatus est, vt eius integritas, industria, fides, toti reipublicæ probaretur. In prouidendo enim consilium, in agendo dexteritatem; in conficiendo celeritatem adhibebat. Præclara sunt opera publica, & priuata Vilnensi palatino, & militia generali præfecto obeunda. Nam & consilia de ducatus Lithuanici salute, & incolumitate parte non parua ab eo gubernantur, & ad societatem administrationis regni totius tam pacis, quàm belli temporibus vocari solet. Sæpè accersitur ad comitia, non rarò ad arcendos hostium impetus, & ad tutandos fines tam ducatus, quàm regni destinatur.

Prædicatur, laudibusq; miris celebratur rara, & eximia illius ducis Christophori comitas, mansuetudo, humanitas, quibus virtutibus ita excelluit, vt exteris etiam nationibus non notus

tantum

tantum, sed etiam iucundus fuerit. Misit pro admirabili suo in literas bonas amore in hanc Academiam filium suum Christophorum Radziuilum Birzarum ducem, cuius & animi & ingenij celeres quosdam motus deprehendimus, quos ad excogitandum acutos, ad explicandum expeditos, ad memoriam deniq; firmos esse perspeximus. Quanquam autem non solum principia literarum, sed progressiones etiam præclaras ad nos attulit: tamen de studio vberioris ingenij cultus capiendi nihil apud nos remisit, vt, quantum patriæ lumen futurus sit, diuinare non sit difficile. Atq; in hoc solertissimus, & gloriosissimus pater maiorum suorum Radziuilorum exempla imitatus est, quorum nonnulli in hac quoque Academia literarum doctrinâ liberaliter animum suum expoliuerunt. Quod quidem illius de literis nostris iudicium non possumus non summis efferre laudibus.

Compertum est, gentem Polonicam & Lithuanicam non alienam esse ab hac Academia, quippe, cuius copia semper ferè aliqua apud nos inuenta est. Oratoriam, & historicam facultatem cum sermonis latini scientia potissimum ea expetit. Hæc enim adiumenta sunt ingenij, industriæ, & rerum agendarum. Quæ cum in hac

Aca-

Academia tradita sint, & adhuc in promptu sint cuius, causa non est, quare ab ea abstinere vllus sapientiae, & eloquentiae studiosus velit. Nec in literas solum amorem suum declarauit Christophorus dux noster inclytus, sed doctrinae quoque religionis custos diligens, & constans in suis ditionibus extitit. Qua quidem laude praestantior nulla esse potest in homine principe praesertim, qui non ipse tantum religione recta beatus esse potest, sed subditis etiam ad salutem veram dux, & autor est. Si enim religio, & fides principis verbo DEI consona non est, non se ipsum tantum a DEO auellit, & poenas aeternas sibi accersit, sed id ipsum virus quoque in subditos infundit, & cum multitudine ingenti in infernum ruit. Solent pericula certaminaque obijci religionem profitentibus, ad quae subeunda paratos animos habere eos oportet, nec metu vlllo fractos professionem abijcere. Quod fecisse ducem Christophorum multis rerum argumentis probari potest. Nam hostiles incursus sustinuit, & a se, suisque vim omnem propulsauit.

Exarsit anno Christi 1600. in Liuoniae bellum a Carolo Sueco Sudermaniae duce accensum, qui errore quodam opinionis sibi forte persuaserat fore, vt finitis inducijs in Poloniam erumpere-

C

rent

rent Mosci: quanquam metu etiam sese impuls-
sum esse dicebat ad inuadendum Liuoniam, ne
scilicet arces & oppida, quæ illic haberet, à Polo-
nis adimerentur. Hæc igitur Suecorum in Liuo-
niam irruptio, iusta arma induit Christophoro
Radziuilo generali exercituum per Lithuaniam
ductori, & adtuendam Liuoniam arcendosq; ho-
stes expeditionem suscipere coëgit. Erat autem
regius in Poloniâ præfectus Georgius Farensbec-
kius bellator egregius, vir cautus, & prouidus,
cum quo copias suas Radziuilus coniunxit, & in
hostem animo forti, & alacri iuit. Ac inprimis
Farensbeckius cum aliquot millibus Suecorum
congressus, fudit eos impedimentisque illorum
potitus est: quanquam etiam suorum non pau-
cos amisit.

Obsidebat ea tempestate Carolus Derpatum,
& 7000. homines VVendam misit, oppidum
non admodum munitum. Hi à Polonis circum-
fusi in flumen adacti sunt, vbi fractâ glacie, par-
tim suffocati, partim cæsi. Ineunte autem vere
Lithuanix dux Christophorus Radziuilus exerci-
tum fermè 6000. virorum in Liuoniam adduxit
& Kokenhusium circumfedit, tantaq; vi, & im-
pressionem oppugnauit, vt per deditioem volun-
tariam ceperit, & promiscuè omnes in eo inuen-

tos trucidari iusserit. Conati quidem sunt Sueci obsessis subuenire, sed repulsi à Radziuilo viros multos amiserunt. Fretus hac opportunitate Radziuilus VVendam à Suecis relictam recuperauit.

Tùm Ronneburgum obsidione cinxit, & emissâ suorum parte quadam, loca complura occupauit, nonnulla impositis præsijs muniuit, alia incendio vastauit. Rigam postea inuadere cogitauit Carolus adductis equestribus copijs, & legionibus peditum quinq;. At, vt conatibus eius obuiam iretur, præsidium mille virorum ex Germanis, & Scotis collectorum vrbi impositum est, locatisq; ad eam castris probè munita est. Nec multò post Polonica auxilia accesserunt, quibus territi Sueci obsidionem soluerunt.

Etsi autem hoc Liuonicum bellum magnâ varietate fortunæ gestum est, modò ad Suecos, modò ad Polonos inclinante victoriâ: tamen eluxit in eo celsitas, & magnitudo animi tam Radziuili quam Farensbeckij, & Zamoscij Cancellarij magni, adeò vt prædicatione, & memoriâ posterorum digna sit. Radziuili equidem integritas, industria, felicitas, & moderatio multis magnisq; rebus spectata est. Victoriâ sæpè vsus est, sed abusus nunquam. Id quod in magno principe comprimis admirabilitatem magnam facit.

Suâ quippe naturâ insolens, & superba est victo-
 ria, & insolentes plerunq; reddit eos, qui eâ poti-
 ti sunt. Quò sanè maior laus debetur ijs, qui sic
 eâ uti sciunt, ut nihil superbè, nihil immoderatè
 agant. Quanquam natura etiam hic dux Radzi-
 uilus adeò clemens, humanus, æquus, & liberalis
 fuit, ut charus iucundusq; fuerit bonis omnibus,
 aduersus, & inuisus nemini, nisi improbo. Ex
 quo etiam id boni tanquam ex fonte quodam sa-
 cro manauit, ut neq; alijs iniuriam faceret ipse,
 neq; illatam aliunde iniuriam persequendam a-
 cerbè esse censeret. Itaq; factum, ut vindictam,
 & animaduersionem, quâ uti poterat, libenter sæ-
 pè remisit, & condonârit.

Consuetudinem, & amicitiam cum bonis
 quibusq; libenti animo iungebat, iunctamq; vo-
 luntate constanti tuebatur, & officiorum com-
 municatione mutuâ confirmabat, augebatq;.
 Abfuit ab eo morositas, alienum fuit fastidium:
 comitatem, & affabilitatem cum grauitate perpe-
 tuò coniunxit, ut verè in illum quadret illud Me-
 nandri: quàm dulcis est sapientiæ & bonitatis con-
 iunctio. Non fraus in moribus, non dolus in ser-
 mone, non fucus in gestu, & vultu deprehen-
 datur. Quò enim quisq; vir melior est, eò studio-
 sius occultationes insidiosas & simulationes odit,

atq;

atq; fugit. Non necesse est regum & principum magnorum exempla accumulare. Quod si fieret, comparatio splendida & iucunda multorum, qui in pace, & bello excelluerunt, cum hoc Radziuilo institui posset. Verùm non id agimus, vt ascito quodam colore hunc principem ornare velimus, cui natiua decora abundè suppetunt, quæ illum viuum extulerunt, & mortuum non deserunt. Comitatur enim virtus virum bonum, & existimatio præclara vsque ad rogum profequitur.

Iustitiæ, quæ vna virtutum omnium regina est, curam magnam habuit, cauitq; diligenter, ne cui iniuriam inferret, sed potius illatam à suis subditis, & patriâ depelleret. Hæc enim duo sunt illa iniustitiæ genera secundùm Ciceronem, quæ vitare iustum principem studiosè oportet, ne cui scilicet iniuriam faciat, & ne vi iniustâ circumueniri, aut opprimi sibi commissos sinat. In quam quidem curam sedulò operam dedit Radziuilus, vt ne grauatus iniusto onere, nec desertus in bonâ causâ quisquam videretur. Cùm etiam in omni gubernatione bonitas, & clementia in tuendis, & conseruandis sanabilibus multò vtilior sit ad retinendum imperium, quàm rigor & iniusta seueritas: æquitatem semper rigori prætulit, &

summi rigoris acerbitatem *ἐπιεικεία* mitigauit, ac temperauit. Quod faciendum esse cuique bono ciui, & reipublicæ moderatori apud Thucydidem libro 3. in concione suâ docet Diodotus. Nec exactionibus immoderatis subditos exhausit, sed tanquam bonus patriæ terræ cultor paterno animo subditis suis consuluit, salutem patriæ prospexit, & vt victus honestus, & necessarius suppetere, operam dedit, vt nihil à bono patrefamiliâs differret.

Pro patriæ libertate acriùs, quàm pro vitâ ipsâ propugnauit, nec committendum sibi esse duxit, vt imminutam illam vllâ in parte posteris suis traderet. Compertum est id cum aliàs, tum non multos ante annos, cum de Vilnensi episcopatu in Lithuaniam certamen acre exortum est. Lithuanicæ enim reipublicæ interest, ne ad externum vllum dignitas illa transferatur. Rex verò & cum eo alij multi omni ope, & opere enitebantur, vt Bernardus Maciejousky Polonus inferretur atq; intruderetur. Quod cum iuri & libertati gentis Lithuanicæ contrarium esset, summâ contentione dux Christophorus pugnabat, vt, repudiato extero, Benedictus VVayna Lithuanus episcopatum consequeretur. Idq; etiam obtinuit, & documentum illustre dedit, quanti referat, patriæ

iura,

iura, immunitates, & libertatem tueri, etiam contra eos, quorum potentia formidabilis esse non parum videtur. Ciceroni non fuit criminofum patriæ libertatem contra Antonium in republ. Romanâ defendere. Nec vitio datum est Demoftheni Athenienfium gubernatori, patriæ dignitatem, & iura contra Philippum Macedoniae regem tueri. Ergo nec Christophoro duci fuum ftudium libertatis ducatus patrij defendendæ fraudi esse potuit. Sæpè enim reges boni, iufti, & moderati funt, fed aliorum impulfu deflectuntur. Hic nifi funt, qui pro priuilegijs & libertate propugnent, iacturam fieri magnam neceffe eft. Ex quo cognofci potest, quanti referat, principes, atque alios ciues bonos pro patriæ fuæ libertate certamina, & fi neceffe fit, etiam pericula subire. Neque omnis defenfio libertatis patriæ eft habenda rebellio. Caret enim huiufmodi defenfio acerbitate, odio, & nocendi cupiditate, nec excludit amorem, & obedientiam magistratui debitam, fed ea potiùs moderatione fulcipitur, vt magis permiffa à rege iufto quàm vindicata ab eo videatur, quemadmodum de Hepheftione Alexandri magni duce Quintus Curtius fcribit.

Quemadmodum autem fecunda aliqua euenire principibus bonis, fic etiam aduerfa plurima

ijfdem

ijsdem accidere solent. Fieri enim aliter non potest, quàm vt omne, quod bonum est, à vitijs vtrinque oppositis impugnetur. Et cui prospera ad tempus eueniunt omnia, is ad extremum malorum quasi quodam turbine obruitur. Alexandro Magno annis duodecim, quibus orbem terræ prælijs, & victorijs peragrabat; ad nutum, & voluntatem fluebant omnia, ad extremum verò non ipse solùm, sed vniuersa etiam familia miserè, luctuoseq; interibat. Meliori fuit conditione Antigonus, qui cum vnoquoq; bono malum aliquod tolerabile diuinitus sibi dari petebat. Bene igitur factum, quòd huic etiam duci Radziuilo non tantùm felicitas in conficiendis rebus togatis, & bellicis à DEO concessa est, sed etiam odia, certamina, & aduersa multa in vitâ acciderunt, vt vicissitudo esset bonorum, & malorum, secundorum & aduersorum Christianis, & viris etiam magnis minimè inusitata, sed necessaria potiùs, & salutaris. Ex ijs enim, quæ patimur, erudimur, vt apud Herodotum Cræsus ait, vt in omni fortunâ fortes & constantes esse discamus. Quod huic etiam Christophoro duci diuinitus tributum est, vt secunda, & aduersa patienter tulerit, & exitum tandem consiliorum, & actionum suarum lætum, & salutarem habuerit: quod viro bo-

no,

no, recteq; sentienti plerunq; vsu venire dux fortissimus & sapientissimus Artabanus apud Herodotum asseuerat.

In matrimonio etiam fortunam variam expertus est. Nam quatuor vxores duxit, vnam Annam, ex illustri & generosa gente Sobkouiorum, secundam Catharinam, illustrissimi principis Constantini ducis Ostrogia palatini Kuoviensis filiam, tertiam Catharinam Comitissae à Denczyn filiam Simeonis Slucensis relictam viduam, quartam Elisabetam Catharinae coniugis secundae sororem illustris domini Samogitia praefecti relictam viduam. Liberos reliquit generosissimos, illustrissimum principem Ianusium, Bizarum, & Slucia ducem Anno 1579. Iulij die 22. ex secundo matrimonio natum, qui vxorem duxit Sophiam Slucensis ducatus vnicam, & vltimam haeredem, Anno 1600. Octobris die prima. Ex coniuge tertia suscepit filiam Elisabetam nomine, qua 13. Decembris Anno 1583. nata, Anno 1599. Iunij die vicesimo, illustri domino Leoni Sapiehæ magni ducatus Lithuaniae cancellario nupta est. Ex eadem coniuge natus illustrissimus princeps Christophorus, Anno 1585. Martij die 22. non solum idem cum patre generosissimo nomen habet, sed eandem etiam indolem ad virtu-

tem præ se fert, & sapientiæ magnanimitatisque
 spem minimè fallacem, tum in rebus gerendis in-
 dustriam, & felicitatem liberalissimè pollicetur.
 Beatus igitur dux Christophorus Radziuilus, qui
 ducem filium Christophorum post se reliquit, a-
 nimi, & heroicæ fortitudinis, felicitatisq; suæ æ-
 mulum, atq; imitatore[m] optatissimum. In hoc
 suauiter acquiescēs ex hac mortali vitâ in immor-
 talem migravit, Anno Christi 1603. Nouembr.
 die 20. & suis quidem mœrorem, luctumq; acer-
 bum, sibi verò celebritatem nominis,
 & famæ nunquam intermoritu-
 ræ reliquit.

F I N I S.

ERRATVM.

Litera B fac. 2. lin. 20. lege Liuoniæ.



Θ P H N O I

In obitum

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI, DOMINI

CHRISTOPHORI

RADZIVILI DVCIS

BIRZARVM A' DVBINKIS,

&c.

*Autorum diuersorum & Professorum
in Academia Lipsica.*



ANNO

M. DC. IV.

E

I N O B I T V M

Illustrissimi & maximè inclyti Prin-
cipis ac Domini, Domini

CHRISTOPHORI RADVVILI,
DVCIS BIRZARVM ET DVBINKIS,
Comitis in Schidlovvitz, Palatini VILNEN-
sis dignissimi, &c.

ἔπιγραμμα.

QUē pietas, Regniq̄, fides, generisq̄ propago
Inclyta, quem celebrat Martis & artis honos,
Christophore ô Radvvile Ducum Dux inclyte, vitæ
Stamina ducentes, sed moriēre, sonant.
Bellonæ at laudes, & quæ, pia Numina, amâsti,
Æternum propria laude perire vetant.
Sic virtus lethi superat vim, conscia iusti
Mens, iustum tete sistit & ante DEVM.
Litale plange Ducem: Regni iacet altera dextra:
Plange, iacet summi relligionis honor.
Sistite Pierides planctum, & Mauortis alumni
Sistite, viuit adhuc laus, Pietasq̄ fides.
Mortale hic tantum liquit, sed viuida virtus
Viuit, & ante homines, viuit & ante DEVM.

In pientis. memoriam, beneficiorum
in se regiè collatorum memor lu-
gens P. Franciscus Romanus in
Muckershausen, Illustris. & po-
tentis. Elector & Ducum Saxonæ
Consiliarius.

ARA DVCIS CHRISTO-
FERI A' RADZIVIL.

Contegor hoc princeps tumulo, & quæ princi-
pe dignæ
Virtutes, belli & pacis uterq; parens.
Nec bello formidavi, nec pace quievi;
Pace tamen per me terra potita mea est,
Talis eram PATER unus, erit quoq; FILIVS alter,
SIC PATER IN NATO EST, IN PATRE NATVS ERIT.

Jacob Schultes, D.

Lituaniæ occubuit Princeps, fortissimus Heros,
Quem Mars non potuit vincere, Morte cadit.
Princeps pace bonus, bello haud superabilis vlli,
Siue feros contra pergeret ire Getas.
Hunc Thrax crudelis metuit, metuere Trionum
Gens habitans claro sidere sæua virum,
Palladias artis pugnans è Palladis arce,
Excoluit, studio juuit, amore fovens.
Ergo hunc Germanus doleat, doleatq; Polonus,
Palladiæq; edant tristia signa Deæ.
Princeps Lituaniæ occubuit, fortissimus Heros,
Quem Mars non potuit vincere, morte cadit.

Ioachimus Tanckius D.

Anatomes & Chirurgiæ Profes-
sor Pub. in Academia Lipsiensi.

Insignes

INsignes lugere viros meritisq; potentes,
 Quos mors è terris abstulit atra, pium est.
 Sunt hi sunt generis gemmæ mortalis, & orbem
 Illustrare velut lucida stella solent.
 Illustris factis, illustri stemmate natus
 CHRISTOPHORVS mortem sic RADEVILVS obit.
 Inluctuq; suos desiderioq; relinquit,
 Antehâc qui generis firma columna fuit.
 Flete piæ Musæ, longos & ducite luctus,
 Iusta nimis vobis causa doloris adest.
 Dum vixit doctos homines RADEVILVS amavit,
 Munifico clarum fouit & ære chorum.
 Pro patria pugnas RADEVILVS, pectore forti
 Cum vario toties contulit hoste manus.
 Sinceræ illius quæ rectâ ducit ad astra
 Curæ ipsi fuit & religionis honor.
 Inq; fide CHRISTO firma constanter adhæsit,
 Supremum vitæ tempus adusq; suæ.
 Corporeis liber vinclis hinc arce receptus
 Ætheria præsens conspicit ille DEVM.
 Nec verò totus perijt, manet inclyta fama,
 Quam delere adeò nesciet vlla dies.
 Nec fatis hoc : terris summa virtute reliquit
 Natum, cui patrius fulget in ore vigor.
 Dij faciant viuens ut longos sospes in annos
 Præclari generis sit maneatq; decus.

*M. Iohan. Albinus, poëticæ Pro-
 fessor in Acad. Lips. publicus.*

LITVANIAE PLANGOR,

In obitu

ILLVSTRISSIMI, POTENTISSI-
MIQVE PRINCIPIS AC DO-
mini, Domini

CHRISTOPHORI RADZIVIL
SENIORIS, DVCIS IN BIRZE
ET DVBINKI, &c. PALATINI VILNENSIS,
Domini quondam pientissimi
& clementissimi :

ET EIVSDEM VOTVM;

Cùm illustrissimæ Gubernationi pa-
ternæ successurus esset illustrissimus, generosissimusq;
Princeps ac Dominus, Dom. CHRISTOPHORVS
Iunior, Dux in Birze, &c. Dominus
clementissimus.

*S*iccine CHRISTOPHORVS senior, Palatinus in oris
LITVANIAE occubuit? quo non illustrior alter
Dux erat, excelsiq; animi vi clarior Heros;
Inter RADZIVILESTER maxima gloria, morbo
Difficili, mortisq; potenti cuspide fixus,
Siccine nunc terras inopinâ morte reliquit?

*Quis mihi subiectæ TELLVRI prebeat undas?
Quisue meis oculis lachrymarum flumina subdat?
Vt desiderium tanti DVCIS, atq; dolorem
Imis visceribus conceptum effundere possim?*

*Væ mihi tam miserè in luctus squalore iacenti,
Orbatq; duce, ac patria PATRE, qui caput hosti
Obiecit toties, ut dulci pace liceret*

Vsq;

Vsq; frui mihi, nec quassatæ turbine rerum,
Religio, cultusq; DEI, Pietasq; deesset:

Quæ nunc circumspicit at, & alnum poscit asylum
In terris metuens furias, morsusq; luporum.

At tu diue Pater, DVX ô fidissime quondam
Securus terræ, & patriæ securus amorum,

Nunc in celesti Regumq; ducumq; Sacrorum
Iosia, Ezechiaq; manes latante coronâ,

Conspectuq; DEI fruieris, donec tuba magno
Arida defuncti clangore resuscitet ossa.

Væ mihi deserta, quàm contabesceret imo
Pectore viva mihi vis, & spes omnis abiret,

Immaniq; gelu formido resolveret artus,

Ni bonitate DEI celso de sanguine RADÉVIL

CHRISTOPHORVS mihi Magnanimi PATRIS inclytæ proles

Ceu clarum sydus per densam affulgeat umbram,

Qui nunc jure suo patrias moderetur habenas.

Hic est, hic PRINCEPS in quo speciosa renidet
Illustri velut in speculo GENITORIS imago;

Qui belli ac pacis solers acquisijt artes,

Communem ut posset patriæ stabilire salutem

Consilio, atq; hostes dextrâ frenare potenti.

Hunc Europææ Musa erudière per artes,

Quæ formant, mentemq; & mitia pectora reddunt,

BELGICVS HVNC VICTOR famâ super æthera notus

MAVRICIVS, quem nunc felici marte tonantem

Degeneres animi metuunt, fugiuntq; trementes;

Bellandi edocuitq; modum, variasq; figuras.

Expectatus ades Princeps, votisq; petitus

In te oculos verto, teq; unum admiror euntem,

LITV ANICI proceres mecum, atq; Polonides ora
Suspiciunt, regniq; exordia fausta precantur.
SIS PIVS & felix, nec non DVCE & auspice CHRISTO,
Quem fidente tuo clausum sub pectore gestas,
MARTIS & artis opus generoso suscipe motu.
SIS PIVS & FELIX; sic famam æquabis Olympo,
Et mirabuntur seri tua facta nepotes.

Ioannes Neldelius Glogouiens.

Aristotelicæ Philosophiæ in Aca-
demia Lipsica Professor.

IN TVMVLVM ILLVSTRIS-
SIMI PRINCIPIS CHRISTOPHORI
RADZIVILI, Ducis Birzarum &
Dubinkorum, &c.

MOle sub hac recubant laudati Principis ossa,
Quo se iactabat Sarmatis ora DVCE.
Viuo illo, vixit Pax aurea, & extulit altè
Diua Astræa suum Relligioq; caput.
At postquam excessit terris, passim omnia moerent;
Squalet ager, squalent, curia, templa, domus.
Vnica spes superest, patriti nominis hæres,
RADZVILIDÛM illustri è stemmate CHRISTOPHO.
Hoc Duce pax rursus, pax aurea surget, & altè (RV S
Frontem Astræa suam Relligioq; feret.
Dij saluum hoc præstate caput, quo sospite Gentis
Sarmatidos stabit fama, cadente cadet.

M. Ioan. Fridericus,
Profess. Natur. Philos.

Est anime vinculum corpus, ceu dicere Graij,
Musa loqui culto queis dedit ore, solent.
Et non immerito: quia in hoc quasi carcere clausa,
Aethereis anima è sedibus orta, latet.
At verò nullum talis clementia cepit,
Vt cuperet claudi carcere liber homo.
Quantumuis igitur pietati & sanguinis arcto
Vinclo aliquid fas sit cum ratione dari:
Gratandum potius tamen est, quam more dolendum
Gentili, si quis carcere liber abit.
Quod decet, ut facias ô illustrissime Princeps,
Ex isthoc animâ claustro abeunte patris,
Qui non duntaxat patrij moderamina regni,
Verùm etiam dotes magni imitare patris.

Mitigandi luctus ergò humiliter mittebat

M. V Volfgangus Coruinus,
Dial. Prof. publ. ibidem.

HIERONYMVS MEGISERVS,
Co. P. Cesar. & Electoralis Prof. Extr. Lipsicus.

Dignum laude virum laudari à funere fas est;
Sed laus laudati illustrior ore venit.
Laudato placuisse viro, laus vltima non est.
Malo bono vni, quam mille placere malis.
Hunc itaq; auspicijs grator, Dux inclyte, faustis,
CHRISTOPHORE, ô magno non Genitore minor,
Qui tibi virtutis tam dignus Præco paternæ
Contigit, & qui quod prædicat ipse facit,
DRESSERVS: Sophia & cultæ dulcedine linguæ,
Et varia Historiæ cognitione potens.
Perge Patris dotes imitari fortibus ausis:
Currenti laudes hæ tibi calcar erunt.

F

NENIA

Nenia Funebri
SVB POLITILLÆ PERSONA
NA MOESTA SARMATIA, OBITUM
sibi prematurum, Illustrissimi
Principis & Domini, Domini
CHRISTOPHORI RADZIVILI,
DVCIS IN BIRZE ET DVBINKI:
Palatini Vlnensis & summi Militiæ, in
M. D. Lituaniæ Imperatoris. Deflet.

*M*axè nouo Roseis surgens Matuta quadrigis,
Aurea conuexo summorat sydera celo;
Purpurea summo sparsa de vertice flamma;
Tum propter torui resonantia littora Nepr I,
Mœstus agens Ichthêus ferro fallebat adunco,
Vsq, sitibundos Nerei, vaser arte, nepotes;
Sollicitus Patriæ metuens, tristemq, ruinam,
Excutiens animo Nepr I salientibus undis.

*Ipsa autem folijs, lugubris victa Cupressi
Inter & inuisi lacrymas & murmura planctus
Hec memor accedens propius POLITILLA profudit.
Verba, prior Buxo fidus quæ inciderat Atlas,
Dum regeret patriæ prudens moderator habenas.*

*O luctus damnate bonis: ô plena doloris
Tempora, quæ requies miseros solabitur? aut quis
Finis erit? quæ pœna meos manet aspera ciues?
Non maior (memini) diri violentia Fati
Heu unquam patriæ quassauit limina terra,
Siue ab Hyperboreis dum Moschus surgeret oris,
Siue Scythes dulces si quando perureret agros,
Qualis quæ inuisor apuit mihi funere Daphnin,
Daphnin, cui robur firmum, cui viuuda virtus.
Venturos Pily spondebant Nestoris annos.*

Quam

Quàm subito occubuit Patriæ spes maxima nostræ?
Heu mihi me miseram in tanto feruore malorum,
Plurima que circumstant, quis solabitur? aut quis
Optatas desperanti mihi porriget vlnas?
Nulla manent ægram solatia: nulla quietis
Apparet facies: sunt omnia plena laborum,
Et velut insignis folijs & fructibus arbor
Fulmine tacta Iouis pavidos formidine quassat,
Agricolæ: sic alma iacet Respublica damnis
Icta suis; stulto nisi fabula vana popello.

Ergo ubi cara legam vestigia Daphnidis? illum
An iuga Hyperboreis nunquam viduata pruinis
Carpati ducunt, per inhospita tesqua vagantem,
Ut metuo summas ne ledant frigora plantas.

Forsan & Eois noua regna ausurus in oris,
Sustinuit fragili sese committere ligno?
At quantis, fama est, mare deseuire procellis:
Hic dubie Sirtes & saxa latentia terrent:
Hic rabie metuenda sua furiosa Charybdis,
Et peior cunctis latratu Scylla canino,
Horrendum resonans cœlestes prouocat auras.
Quid loquar innumeram monstrorum in gurgite turbam?
Ut metuo in medijs Echeneida fluctibus? illum
Fama canit validas nam sistere posse carinas.

Vos Pelagi indigetes, magni quos Rector Olympi
Oceani ingentis moderari iussit habenas,
Undisonas cobibete minas: componite fluctus:
Et fragilem seruate ratem: perducite portu
Optato incolumem, clementi numine, Daphnin.

Istula Sarmatiæ decus & dominator aquarum,
Balthica tartareo qui murmure stagna salutas;
Massouium euadens stupidum, Prutenumq; superbum,
Diue refer querule non cunctabundus amanti,
Daphnis ubi? quodnam Pelagus, quæ flumina tentet,
Ab fragili abstineat nimum confidere ligno.

Interea in virides me vertam sedula sylvas:

Si quã fortè queam tristes deponere curas.
Inter Hamadryadas, tum numina diã Napæas,
Daphnin ego in lustris inter spelea ferarum,
Daphnin & umbriferæ valles, montesq; sonabunt,
Commiserata meos forsã feræ numina planctus,
Daphnidis optati nobis vestigia dicent.

Daphni ubi es? an nemorum lustras iuga summa beatus?
An te frondosæ ducunt super omnia valles?
Te querula in lustris, inter spelea ferarum,
Siue diem Titan spargit, seu lumina condit,
Effingo; te te ingemino mea gaudia solum.

Daphni ubi es? ah trepidas quã debeo vertere plantas,
Ut videam Diuina tui iam pignora vultus,
Pignora livoris tumidiq; expertia fastus:
Da faciem mihi Daphni tuam; te siste vocanti.

O ubi magnificamq; animam, dextramq; potentem
Inueniam & sancto sanctas in pectore dotes,
Munificumq; animum: quibus hic equare solebas
Æthereas cœli sedes, turbamq; beatam?
Nam quis te accessit, quem non susceperis? aut quis
Abs te suffusus tristi mœrore recessit?
Quem non sponte sua tua dextera iuuerit: illi
Hac pietas innata fuit succurrere cunctis.

Daphni ubi es? ah notam iam iam mihi reddere vocem.
Dine tuam propera: nostras miseresce querelas,
Quas surdi montes, quas umbriferæ conualles
Admittant: neũ dure velis augere dolorem.
In mea fata meum: satis hic dependimus omnes
Pœnarum, si quæ veteris contagio culpa
Non elota, manus animasq; infestat inertes.
Ah patri satis est paulum pro crimine magno
Supplicij; iam parce tuis pater optime: da te
Mî misere facilem, moueat lacrymosa mearum
Te rerum facies dubijs obnoxia fati.
Nulla mihi requies sine te speranda laborum:
Mille meum circum steterunt caput undiq; pestes.

Hac

Hac ferus insurgit coeptam turbare quietem
Hostis, & attentat subtilibus omnia techinis.
Parte alia quondam possessos eripit agros.
Cumq; agris pecudes raptat vicinus, & instat
Crudelis, quem nec pietas, nec conscia iura,
Absterrent: quin cuncta tuis extrema minatur.
Quid loquar Harpyias, quæ clam mea viscera vellunt?
Te moueant Cines, tanti quos vulnere planctus
Conficiunt, nullamq; iubent sperare salutem,
Te sine nil nobis nec dulce, nec utile restat,
Omnia perpetuo sepelisti gaudia luctu,
Mene etiam tristis post tanta incommoda vite
Non potuisse, diu quasitam accersere mortem,
Et felix viduas olim euitare querelas?

Te flectat pia turba, suis quæ candida votis
Implorans deposcit opem, nunquamq; negatum
Consilium, auxiliumq; tuum, te siste vocanti.

Ast ego nequicquam tenues singultibus auras
Impleo, nequicquam bibulas efundo querelas.
Daphnis abit: Daphnis patrias inuisere sedes
Sustinuit, Daphnis felix super æthere regnat.
Non illum tellus, nec habet mare, candidus alto
Heres adscitus per Christi vulnera cælo
Ducitur optatis cælestis sedibus aula:
Et me sperati consortem expectat Olympi.

Ergo ibi miratur spatiosa Palatia mundi
Ætherei lucemq; sacram, turbamq; beatam,
Turbam, quæ sequitur puris in vestibus agnum,
Sola canens Patrium festiui carminis hymnum:
Sub pedibus volucres orbis septemplex axes,
Et Phœben stupet, & fulgentia sydera mundo
Perdiscitq; huius quæ sint sua semina vite,
Unde olim fragiles venit delapsus in artus,
Inde illum repetam deserta in fœdera vite.

Quid loquor ah demens, quæ nostræ insania mentis?
Indene te repetam Daphni optime? scilicet huius

Nunc aui te cura trahat? qui carcere tanto
Egressus, miser rides ludibria mundi.

Ergo his exuuijs, atq; istis sordibus, olim
Liberate sequar, & tecum sperata futuræ
Consequar æternum felix & sospes in æuum,
Gaudia, non ullis fatis obnoxia, vitæ;
Gaudia perpetuam rerum spirantia pacem,
Interea salue atq; meo vale inclute luctu.

Ad animam Radziuiliam.

Sancta anima, & querulis iam non obnoxia fatis,
Que capis æterni premia certa boni.
Ecquid te nostri memorem cura vlla fatigat?
Auribus an sordet nostra querela tuis?
Te nobis prematurè deflemus ademptam;
Et querimur miseros tardius ire dies.
Te presente quibus ridebant omnia quondam,
Omnia iam sordent ipsaq; vita probro est.
Cur mihi non licuit tecum superesse, diuq;
Perfruer vultus commoditate tui?
Nempe sibi cælum hoc, sine te cælum esse nequibat:
At tibi cum es cælum: Tartara dira mihi es

LESSVS LITVANIÆ.

Ille abiit: ego mutor.
SI quis ad questus, lacrymasq; nostras,
Mens quibus tristis superata cædit,
Liberam curis bibulis nec ægram ad-
Mouerit aurem:

Ille miratus calidas querelas
Mens quibus tristis superata cædit,
Se fuga torquens misera, suiq;
Nescia fati,

Dicat,

Dicat, ô quanti est sapere atque amare
Quando amor diæ rationis expers
In nouas mutat (pudor heu referri)
Corpora formas.

Hei mihi ô vitæ lacrymosa nostræ
Tempora, ô inuisa Bonis querela,
Sicne humi affligis superam beatæ
Particulam auræ?

Ille vt excedens miseris tenebris
Pignus æterni repetit PatI
In nouam demens querulo figuram
Mutor amore.

Nam me vbi liqui, quibus aut super sum?
An quid humanæ manet vsq; formæ?
Anné abit totum, vt modò nuda substat
Corporis vmbra?

Induit saxum Niobe, & sepulcrum
Fit sibi, nec non manet & cadauer.
O mihi quid sum? gelidum an sepulcrum
Anne cadauer?

Nec cadauer sum mihi, nec sepulcrum;
Nam quid hic (si sum) miseris querelis
Enitor? quid me dolor vsq; & vsq;
Lancinat atrox?

Consciæ fati miseri ministræ
Parcite ô Parcæ: melior recessit
Pars meæ vitæ, nisi nuda substat
Corporis vmbra.

EPICÆ-


E P I C E D I V M.

Daphnis apud superos ut desijt esse superstes,
Cœpit apud superos verius esse suos:
Nec tamen hic des It, qui desijt esse superstes,
Ergo is apud superos vivit utring, suos.
Pura Polum subijt Mens: virtus dia superstes
Vivit & in magnis claret utring, Dÿs.

H Y P O R C H E M A.

Trenodie ad animam Radziuiliam.

Lacryma, miseria, vigiles
Canere celeriter aliquid habile iubent.
Domicilia supera colens
Anima, pia, bona, vitrea, nitidula,
Vbi Charis erat, vbi lepos
Sineq; scelere pudor, vbi mera pietas,
Locane Poli igitur habitas
Sacra, tibiq; nova sacra data recipis?
Frueis inibi Deo auida
Bonaq; tua sine lacryma ibi retines
Vbi metus, vbi dolor abest,
Supera resonat vbi tripudia phalanx.
Age nova Policola Dea
Nova melea tibi cano, tibi numeros
Dicat animus opere habilis.
Cape. Paria alibi neq; scio neq; habeo.



Ad
ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM
AC DOMINVM, DOMINVM
CHRISTOPHORVM
RADZIVILVM, DV-
CEM BIRZARVM ET DE
DVBINKIS, &c.

Dominum suum clementissimum.



SISI VERISSI-
mum est, illustrissi-
me Princeps, vitæ no-
stræ & ætatis decur-
sum non euidentiùs
& certius apparere,
quàm Sexagesimo
tertio ætatis anno
(qui à multiplicatione duorum clima-
ctericorum numerorum, septenario
nempe, procreatur & nouenario) quem-
admodum id ipsum non tam ipsius Ari-
stotelis, Maronis, Ciceronis, aliorum-
què summorum virorum de Republ.

G

præ-

præclare meritorum obitus, quàm quotidiana experientia rerum magistra, cui contradicere Sophisticum est, comprobatur: Attamen inter cæteros annos, quos ἀπὸ τῆς κλίμακῃ, id est, à scala siue gradu, & quòd in his, quasi per scalæ gradus vita ætasque hominum progredi ac quasi scandere videatur, non incongruè climactericos nominamus, annum ætatis Quinquagesimum sextum non minus fatalem esse, & ingenio atque arte præstantibus ac illustribus viris vitæ ætatisque terminum decernere, per exempla multiplicia compertum est. Nam quis historiarum ita planè ignarus est, qui nesciat Iulio Cæsari, Heinrico IV, Imperatori Ludouico & Matthiæ Regibus Ungariæ, Caroli filio, Friderico I Regi Daniæ, Heinrico VIII, Ludouico XII, Regi Franciæ, Adolpho Duci Holsatiæ, aliisque compluribus summis heroibus hunc climactericum extremum vitæ annum

fuiſ.

fuisse? Ac quid in præsentia pluribus exemplis opus est? obtulit sese perillustre (tametsi luctuosum) præterito anno, vigesimo die Nouembris in laudatissimo & fortissimo Principe ac Domino Domino CHRISTOPHORO RADZIVILO, Duce Birzarum è Dubinkis. Sacri Romani Imper. Principe &c. Parente generosissimo illustrissimæ celsitudinis tuæ, quem constat non sine præclari nominis omine in hanc lucem editum fuisse, anno Redemptionis nostræ 47. post Millesimum, quingentesimum; Et rursus euocatum ex hac fragili & calamitosa vita prædicto tempore, non sine maxima Reipubl. iactura, luctuque subditorum suorum, imò totius regni Polonici grauiissimo. Qui fanè casus magnam quoque attulit tristitiam tum multis alijs per Germaniam nostram hominibus, tum præcipuè huius inclytæ Academiae Professoribus, vtpote quibus non

incognitæ fuerunt virtutes præclarissimæ
laudatissimi Principis, τῆ ἐν βίολογία, per-
spectaque affectio planè singularis in
hanc Academiam, quam maximè decla-
rauit in eo, quod tuam illustrissimam cel-
situdinem in hac studiorum gratia ver-
sari, & per annum integrum (non sine
laude eximia progressionum egregiarum
in liberali doctrina, virtutumque lauda-
tissimarum documentis illustribus) com-
morari voluit. Atque vt rursus illi de-
clararent aliquo modo gratam erga bea-
tissimum PRINCIPEM memoriam, tum
erga illustrissimam tuam celsitudinem
obseruantiam suam, publico nomine
voluerunt extare hoc funebre monu-
mentum literarium, præmissam (di-
co) orationem, de vitæ curriculo, re-
busque gestis præcipuis defuncti princi-
pis laudatissimæ memoriæ, à viro clarissi-
mo conscriptam, atque huic adiuncta
quorundam collegarum nostrorum, vi-

rorum

rorum præcipuorum & doctissimorum
Epicedia. Quæ omnia typis exarata, iam
transmitto; Petoque à T. Cl. ea qua de-
beo animi submissione, vt moram hanc,
quæ intercessit, æquo animo ferat, meque
pro insigni sua humanitate ac clementia,
quemadmodum antehac ea quoque de-
inceps sibi commendatum habere pergat.
Datæ Lipsiæ, XXV. die Martij, quo filius
DEI, Saluator generis humani, in vtero
virginis MARIÆ natæ ex Regia stirpe
DAVIDIS, humanam naturam assump-
psit ante annos Quatuor supra mill. sex-
centes.

Illust. Celsitud. tue

deditissimus.

Christophorus Meurerus, D.

Mathemat. Professor, & Reip. Lips.

Physicus ordinarius, &c.



L I P S I Æ,

Excudebat Michaël Lantzenberger.

A N N O

clō. lo. ciiii.



Fragment of a table or list on the left edge of the page, showing a vertical column of text within a double-line border. The text is mostly illegible but appears to contain letters and numbers, possibly a list of items or a table of contents.









Tn 8834

ULB Halle 3
004 772 946


Vb 17

M.I.





rectà du
esse cœp
contenc
patrem
buit. Is
eosque
Specim
mundi
fiæ fines
cum co
impetu
tuendâ
Du
nus cas
manau
euocau
lum Ni
dit; qui
litis ad
keuitius
abdica
Radziu
filio aul
ercitum
Derpat
populat

adolescens
mni studio
otuit, quòd
ducem ha
suscepit, ad
n adhibuit.
rtem Sigis
sci in Rus
a hos enim
â felicitate
pietatem in
am Stepha
fama latè
datis literis
lucatum il
tino tradi
ntarij mi
nes Chod
uaniae sese
ciae eidem
ristophoro
æfecto ex
. Hunc ille
; hostilem
n excurrit,
idq;

